



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro tertio Decretalium, In Quo De Obligationibus, Beneficiis, Aliisque Juribus Clericorum saecularium, & Regularium agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1676

Titulus XXII. De Fide Jussoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98275](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98275)

ditione, non autem in contractu pignoris, n. 28. Hoc pactum non valet, etiam si ei juramentum debitoris accesserit, quod si intra tempus constitutum non solverit, super pignore creditorem non molestat, n. 29. In quibus præterea casibus non valeat pactum Legis commissoriae? n. 30. Hoc pactum, et si illicitum sit quoad debitorem, non tamen quoad fidejussorem, n. 31. Sunt tamen nonnulli casus, in quibus pactum Legis commissoriae est licitum, n. 32. An hoc pactum sit licitum, si non incontinenti, sed ex intervallo adjiciatur? n. 33.

§. VIII. De cautione usufructuarii.

Usufructuarius tenetur cavere, quod utetur rebus immobilibus, salva earum substantia, & quod restituet pecuniam, & æstimationem rerum consumptarum, arbitrio boni viri, n. 34. Quænam noranda sunt circa usufructum? n. 35. & 36. Quær. 1. Qualem cautionem usufructuarius præstare debeat; & in primis qualem in rebus immobilibus? n. 37. & qualem in pecunia, & in alijs rebus, quæ usu consumuntur, n. 38. An, si usufructuarius non possit cautionem præstare per pignora, & fidejussores, admittenda sit cautio juratoria, n. 39. An, & qualem cautionem Testator, qui reliquit bona sua, quoad proprietatem uni, usufructum verò eorum alteri, possit remittere usufructuario? n. 40.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.	c. 5, n. 4. & 5. seqq.
c. 1, n. 11. & seq.	c. 6, n. 18.
c. 2, n. 13. & seq.	c. 7, n. 27. & 4. seqq.
c. 3, n. 17.	c. 8. & ult. n. 34. & pluribus seqq.
c. 4, n. 25. & seq.	

TITULUS XXII. DE FIDEJUSSORIBUS.

§. I. De fidejussione in genere, & conditionibus ad illam requisitis.

ASSERTIO I. Fidejussio est contractus, in quo quis promittit, se soluturum, quod alius debet, si debitor principalis non solverit, n. 1. Aff. 2. Fidejussio est obligatio accessoria alteri obligationi principali, quam supponit, & sine qua consistere non potest, n. 2. Aff. 2. In omnibus conventionibus, siue re, siue verbis, siue litteris, siue solo consensu contractis, adhiberi possunt fidejussores, & siue ex contractu, vel quasi, ex delicto, vel quasi oriantur, n. 3. An, qui fidejubet pro Religioso, sine Superioris auctoritate, contrahente, ipse fidejussor obligetur? n. 4. Aff. 4. Non potest fidejussor extensivè magis, siue plus obligari, quàm debitor principalis, n. 5. Potest tamen magis intensivè, siue intensius, & efficacius obligari, quàm debitor principalis, num. 6. Si fidejussor in plus se obligavit, quàm debitor principalis, obligatio fidejussoria est solum invalida quoad excessum, n. 7. Si fidejussor juramento se obligavit, ad plus solvendum, quàm principalis debet, eo non obstante, non tenetur ad solvendum ultra debitum principale, quatenus fidejussor est, n. 8. Aff. 5. Si debitor principalis fuit obligatus ad pecuniam, & fidejussor obligatur ad solvendum aliam rem, quæ non est pecunia, obligatio est nulla: sed vice versâ, si debitor oblige-

tur ad rem, quæ non est pecunia, fidejussor verò ad pecuniam, valida est obligatio, num. 9. Aff. 6. Obligatio fidejussoria transit ad hæredes fidejussoris, num. 10.

§. II. An Prælati Ecclesiæ, vel alius Clerici, cum Religiosus fidejubere possit pro alio?

Quæritur 1. An Prælati Ecclesiæ, fidejubere possit pro alio? Resp. Potest etiam sine consensu Capituli, modò id fiat ex justa causa, & non in magna quantitate, seu cum notabili detrimento Ecclesiæ. Si verò Prælati, cum consensu Capituli, pro alio fidejubeat, Ecclesiæ ex tali fidejussione obligatur, dummodo fidejussio non sit talis, ut necessarium sit, alienari bona immobilia Ecclesiæ, aut mobilia pretiosa, talis enim fidejussio est irrita, num. 11. Quær. 2. An Clericus possit fidejubere pro alio? Respon. Clericus Beneficiarius potest fidejubere, quoad obligationem bonorum patrimonialium: imò etiam quoad redditus perceptos ex titulis Ecclesiasticis, quorum liberum dominium, & administrationem habet, ex causa rationabili fidejubere potest, præsertim pro Clerico, num. 12. Unde fidejubens, & solvens pro Clerico, debet à debitore principali indemnitas servari, non solum quoad sortem, sed etiam quoad damna inde secuta, cit. n. 12. & seq. Resp. 2. Clericus fidejussoribus interveniens abijciatur, siue deponatur, n. 13. Quær. 3. An Religiosus possit fidejubere? Resp. Non potest, sine licentia Prælati sui, & consensu majoris partis Capituli, num. 15. Alioqui fidejussio Religiosi non tantum illicita, sed etiam irrita est. Neque Religiosus fidejubere potest, si ipsi peculium concessum sit ad certam causam, nu. 16. Quod si in aliqua Religione consuetudo non sit, ut petagantur negotia cum Capitulo, potest solus Superior fidejubere, vel Religioso subdito facultatem dare fidejubendi pro alio, num. 17.

§. III. Quibus casibus Fidejussor, etiam antequam solvat, agere potest adversus debitorem principalem, ut ipsam obligationem liberet?

Tres sunt hujusmodi casus. Primus est, si debitor in culpabili mora solvendi fuit. Secundus est, si debitor principalis cepit dilapidare bona sua. Tertius est, si fidejussor pro debitore principali à Judice condemnatus fuit, n. 17. & 18. quibus aliæ exceptiones adduntur, cit. n. 18. Si debitor principalis in culpabili mora solvendi existat, & fidejussor de solvendo sepius molesteretur, potest is agere contra debitorem, & hic per censuras compelli debet, ut illum fidejussione liberet, n. 19. & 20. Porro duo beneficia, seu exceptiones competunt fidejussoribus, nempe Beneficium ordinis, siue excussionis, quod non tenetur fidejussor solvere, nisi prius confiteretur, debitorem solvendo non esse. Alterum beneficium est divisionis, vi cuius, si plures pro eodem debito fidejusserunt, et si singuli in solidum obligentur, excipere non possunt, & petere, ut quilibet ex fidejussoribus, non nisi pro virili parte conveniatur, n. 21.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.	c. 3, n. 19. & seq.
c. 1, n. 14.	c. 4, n. 15. & seq.
c. 2, n. 12. & seq.	c. 5, & ult. n. 17.